Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 441

Quelle:
Copyright:

Quod nobis omnibus preſtare dignetur dominus ihesus chriſtus
Qui cum patre et ſpiritu ſancto eſt in perpetuum benedictus.
Amen.

Explicit liber ſpeculum humane ſal. De Autore, quod adfirmem, non habeo. Ordinis Praedicatorum fuiſſe ſuadet *Caput* XLIV. *de Triſtitiis B. V.* quae Fratri cuidam hujus ordinis revelatae fuiſſe dicuntur; unde et depictus ibi praeit.

CLVIII.

57 Codex membraneus lat. Sec. ut videtur XIV. Folior. nunc 9. f. pictus potius, quam ſcriptus continet quavis pagina *Iconiſmos* duos coloribus illuſtratos exhibentes in medio Myſterium quoddam N. T. circumdatum undique figuris ex V. T. depromtis Myſterium illud adumbrantibus, et Prophetarum oraculis illud praefignantibus. Frons cujusvis Iconiſmi loco biblico et verſibus tribus leoninis figuras explicantibus inſignita eſt. Damus διαγνωσιν *Iconiſmi* I. *fol.* 1. p. 2. Ad dextram: *Legitur in Geneſi. Quod dominus dixit ſerpenti. Super pectus tuum gradieris. Et poſtea ibidem legitur de ſerpente et muliere. Ipſa conteret caput tuum. et tu inſidiaberis calcaneo eius. Nam iſtud in annunciacione beate Virginis ad impletum eſt.* Ad ſiniſtram: *Legitur in libro Judicum. quod Gedeon petiuit ſignum victorie. in uellere per pluuiam irrigandum que figurabat uirginem glorioſam ſine corruptione corporis impregnandam ex ſpiritus ſancti infuſione.* Subjecti tres hi verſus:

Vipera uim patitur de inpaciente puella.
Virgo ſalutatur innupta manens grauidatur.
Rore madet uellus remanet tamen arida tellus.

Infra ad dextram Virgo cum ſerpente, ad ſiniſtram Gedeon cum angelo. In medio Angelus ſalutans Virginem. Circa ſunt Prophetae, Iſaias cum lemmate: *Ecce Virgo concipiet et pariet.* David: *Deſcendet ſicut pluuia in uellus.* Ezechiel: *Porta clauſa erit et non aperietur.* Jeremias: *Nouum fecit dominus ſuper terram.* Ita et reliqui Iconiſmi procedunt numero XXXIV. ſuntque: *Nativitas Chriſti. Epyphania domini. Purificacio. Fuga criſti in egyptum. Venit in egyptum. Innocentes occiduntur. Reuerſio de egypto. baptiſmus domini. Temptacio dyaboli. Transfiguracio domini. Inuitacio Zymonis. Reſuſcitacio Lazari. In die palmarum. Expulſio vendentium de templo. Cena ultima. Cayphas Judas.* (Semper nigricomus) *Judas vendidit criſtum. Judas oſculatur criſtum. Hic preſentatur pylato. Coronacio domini. Portacio crucis. Paſſio domini.*